UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul. S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Proæmium. In Chronicam Monasterij præfati ab eo tempore, quo ad Regulares Canonicos translatum est.

urn:nbn:de:hbz:466:1-64645

Visual Library

CHRONICA
Monaſterij B. Meinulphi in Böddeken.
PROÆMIUM.
In Chronicam Monaſterij præfati ab eo tempore, quo ad Regulares Canonicos translatum eſt.

ACtus, & Geſta Monaſterij B. MEINULPHI in Böddeken ab eo tempore, quo idem Monaſterium in Regulares Canonicos translatum, litteris tradere cupienti, ut poſteri ſciant, ſi quid fortè ex his præcavendum fuerit, vel imitandum, ſatis exſtat operoſum, ùt apparet, tamen quia obedientiæ titulô hoc onus mihi impoſitum eſt, id, quod vires ingenij perficere non ſufficiunt, obedientia miniſtrabit. Ut ergo de præfatis actibus eò veriùs poſteris aliquid conſcribatur, alij etiam, qui adhuc in humanis ſunt, & hujuſmodi interſuerunt, in his ſcribendis mecum laborabunt; & ut initium præſentis operis mihi aſſummam, ad antiquiora tempora neceſſe eſt me divertam.